



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

XXXI. S. Marcellus I. Anno Christi 304. Constantii Et Galerii Imperator. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

XXXI.

S. MARCELLUS I.
 ANNO CHRISTI 304.
 CONSTANTII ET GALERII
 IMPERATOR. I.

Bar. ad
 an. 304. §. 26.
 Pag. an.
 308. §. 7.

MARCELLUS Benedicti filius
 Romanus anno 304. XI. Kal.
 Decembr. Pontifex declaratus est.
 (1) Hujus constantiam in servanda
 pœnitentiæ disciplina celebrat Dama-
 sus, ob eamque addit à Maxentio
 pulsum in exilium. (2) De eodem
 legimus in Libro Pontificali, quin-
 que & viginti titulos seu Parochias
 Romæ instituisse ad Baptismi & Pœ-
 nitentiæ administrationem, & ad se-
 pulchras Martyrum, eorumque om-
 nium, qui ex Ethnicis dedissent no-
 men Christo: (3) Jussu Maxentii in
 vincula coniectum, ut negaret se esse
 Episcopum, & sacrificaret Idolis:
 Imperata facere recusantem damna-
 tum in Carabulum: (4) Inde post
 menses novem à Clericis ereptum si-
 lentio noctis, & à Lucina matrona
 acceptum hospitio, domum ejus con-
 vertisse in Ecclesiam titulo S. Marcellus,

Bar. an.
 308. §.
 23. An.
 309. §.
 4. 5.
 Pag. §. 3.

li, in eaque obiisse munia Ecclesiastica: re à Maxentio auditâ, Ecclesiam statim in catabulum redactam. & Marcellum mancipatum servitio ejus: ibi pædore ac situ loci confectum anno 309. XVII. Kal. Febr. edidisse extremum vitæ spiritum, cum annos quatuor, mensem unum, dies quinque & viginti Romanam Ecclesiam administrasset.

ANNOTATIONES.

(1) Eusebius in Chronico in Marcellini locum subdit Eusebium, prætermisso Marcello. Hieronymus, seu alius, in Martyrologio, quod ejus nomine inscribitur, Marcelli tantum meminit, omisso Marcellino. Itaque sunt, qui putent, Marcellinum non esse à Marcello diversum. Præbet errorem nominis similitudo. Verum, ut observat Baronius ad an. 296. §. 4. non solum Tabulæ Ecclesiasticæ, sed etiam Optatus lib. 2. §. 3. & S. Augustinus epist. 53. aliàs 165. utrumque habent pro Pontifice, & alterum distinguunt ab altero.

(2) Carmine 26. editionis Martii Millesi Sarazanii pag. 173.

(3) Mabillonius Comment. in Ordinem Romanum cap. 3. pag. 16. *Atque adeo non omnes fortè tituli erant parœciales, sed quidam instituti fuerunt, ut sepulchris Martyrum honor haberetur. Unde*

in

in Concilio Chalcedonensi martyria, id est basilica Martyrum, inter titulos censentur.

(4) Catabulum erat stabulum animalium, non quidem silvestrium, sed jumentorum, quae publica utilitati ad vehenda onera deservirent, unde Catabulenses hi dicti esse reperiuntur, qui praedicta oneraria jumenta ducabant: Baronius in Martyrolog. Rom. XVII. Kal. Februarii, & in Annalibus ad an. 308. §. 23. Idem est ergo, quod dicitur damnatum esse Marcellum in Catabulum, quod apud Eusebium de aliis quoque traditur, esse destinatos ad alendos equos Imperatorum.

XXXII.

S. EUSEBIUS.

ANNO CHRISTI. 309.

CONSTANTINI IMPERAT. 4.

Bar. ad
an. 309.
§. 7.
Pag. §. 8.

EUSEBIUS Græcus, Medicus, seu Medici filius. Is Eusebium clari nominis Episcopum Vercellensem Christianæ doctrinæ præceptis imbutum baptizavit, suumque illi nomen imposuit. (1) Narrat id Baronius ad an. 311. §. 42. ex Actis
ejus-